


LECTIONES CURTIANAE


SCRIPSIT


P. H. DAMSTÉ
Litt. Hum. Dr.



EXPRESSUM EX PROGRAMMATE GYMNASII LEIDENSIS
ANNI MDCCCLXXXXIV.


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS






LECTIONES CURTIANAE

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ

Litt. Hum. Dr.





LUGDUNI BATAVORUM

1894.

Hac qua vivimus aetate si quis ea, quae inter legendum nova eademque memoratu digna invenisse sibi videtur, in lucem editurus cavere studet ne inter inventa sua aliena quoque lectoribus proponat, magna, hercle, illi voluminum copia evolvenda atque perscrutanda est. Tantum accrevit accrescitque in dies ad pleraque veterum opera commentationum numerus.

Quae si singulae prostarent, merito perstringeretur qui aliorum animadversiones de opere aliquo cui ipse operam navaret, ultro neglexisset. Sed latent pleraeque in dissertationibus inauguralibus, in gymnasiorum libellis, iacent absconditae in academiarum commentationibus, in veteribus editionibus. Sic fieri potest ut invitus quispiam iis qui ante fuerunt furtum facere videatur [1]).

---

[1]) Veluti et mihi nuper accidit: emendationem quam in publicum dedi in Mnemosynes Volumine XXI p. 215 ad Sall. Cat. 3. 5 Kritzium ante me invenisse postea cognovi neque non possum mirari correctionem tam necessariam ab editoribus nondum esse receptam. Iacturam quam sic commentatiuncula mea fecit, nova emendatione hic explebo. Sunt haec in Sall. Cat. 50. 2: Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos, orabat in audaciam, ut grege

Quod ad C. Julium Caesarem attinet, nullum iam periculum est ne quis de eius scriptis coniecturas afferat quas alii ante evulgarunt: has omnes H. Meusel, vir doctissimus optimeque de Caesare meritus, uno libro sedulo complexus est, quo labore utiliore quam iucundiore multorum laudibus dignissimus est.

At bona pars auctorum suum Meuselium nondum invenit neque Q. Curtius Rufus invenit. Quaecunque de eo viri docti — neque pauci sunt — scripserunt, sparsa iacent per libros multos atque libellos, quos sibi omnes comparare nemo vel maximis sumptibus potest, bibliothecae publicae habere fere non curant.

Hoc sane laetandum quod Curtius iterum atque iterum viros prudentissimos elegantissimosque habuit editores qui, bonis criticorum coniecturis receptis malis omissis, talem textum constituerunt qualem ipse auctor composuisse a quovis lectore, Curtii sermonis perito, censendus est.

Ista, meo quidem iudicio, est una sana edendi ratio.

Cui bono, quaeso, est nova alicuius auctoris editio quae librariorum mendis fideliter servatis textum traditum ad verbum expressum praebeat? At, dicat quis, a codicum mss. scriptura iis qui rem criticam exercere volunt, inchoandum est. Minime nego, sed cur non inchoat editor qualem supra significavi? Cur non editionem suam premit, non dicam nonum sed alterum tertiumve in annum atque deinde eam

---

facto cum telis ad sese inrumperent. Ita legitur in cod. Par. Sorb. ceterisque eiusdem familiae: alii interpolati exercitatos in audaciam, orabat praebent, quorum unus verba in audaciam omisit, quod Dietsch probavit. Wagner (Rh. Mus. 1878 p. 702) in auxilium coniecit.

Est sane facillima emendandi ratio id delere quod intellegi non potest, sed iure rogaveris quomodo verba illa in textum pervenerint, cum interpolatoris interpretamenti minime praebeant speciem. Wagneri coniectura quamquam bonum sensum praebet, non est admodum probabilis: auxilium in audaciam corruptum esse non facile credam, neque magis placet illud lectos et exercitatos in audaciam. Equidem in hanc incidi suspicionem: auctorem scripsisse „lectos et exercitatos, orabat, audaciam! ut grege facto e. q. s."

in lucem profert talem, ut loci corrupti e virorum doctorum coniecturis emendati prodeant? Ille enim is est qui longa intimaque quam cum auctore contraxit consuetudine, ex omnibus optime scire possit quid scribere potuerit auctor, quid non. Ut nunc sese res habet, haud raro accidere videmus ut in nova auctoris alicuius editione recensenda censor se sperare dicat fore ut hanc novam editionem mox nova eiusdem auctoris editio eaque emendata sequatur.

Curtio, ut iam dixi, feliciter viri sapientissimi editores fuerunt. Si quis Alexandri Magni Historias, quas Theod. Vogel v. d. anno 1889 apud Teubnerum edidit, cum earum editione, quam H. E. Foss v. d. anno 1875 curavit, diligenter comparaverit, mox perspiciet maximi momenti fuisse studia critica, quae auctori nostro eo temporis intervallo viri docti impenderunt. Indefesso labore critici permulti, Germani praecipue, id egerunt ut Curtii Historias, ante misere corruptas, emendarent explicarentque. Manent tamen vel nunc multi loci corrupti, et cum omnis Curtii Historiarum emendatio, ut Vogel monuit, niti debeat lectionibus quinque librorum, qui cum interpolationis labe non inquinati sint pleraque tamen graviora menda aeque ac lacunas communia habeant, non vereor ne nimis audax videar si mea emendandi conamina viris doctis propono.

Coniecturas meas in tria genera divisi, ita ut prima parte de iis locis disputetur quos lacunis laborare censeo, secunda indicentur pauca quae auctori falso obtrusa esse arbitror, tertia pars eas correctiones contineat quibus verba, sive unum seu plura, commutentur. Est ubi locos, quos a viris doctis immerito suspectos duco, aut locos similes afferendo defendam atque stabiliam, aut interpretatione quadam a vulgari diversa sanos esse demonstrem: sunt loci isti sane paucissimi, et multum vereor ut magni facienda sint argumenta mea quibus viros me multo doctiores simulque Curtiani sermonis peritissimos hic illic refutare sum conatus, sed ne sic quidem ea me omittere oportere existimavi.

Usus sum editione quam Th. Vogel anno 1889 apud Teubnerum curavit neque eam, quam idem vir doctus utilissimis notis in usum studiosae iuventutis instructam apud eundem in publicum dedit, negligere fas duxi.

Si unum alterumve ex inventis meis ei aliisque viris doctis, de Curtio optime meritis, probare potuero, satis largos fructus me ex labore meo percepisse grato animo profitebor.

Lugduni Batavorum,
Kal. Mart. A. MDCCCLXXXXIV.

I.

Codices omnes Curtianos lacunosos esse — id quod iam Foss [1]) contendit — nemo negat. Idem quo manifestius appareret quantus esset lacunarum vel in optimis numerus, in unum collegit locos eos quibus verba singula vel plura exciderunt. Quibus paucos addere mihi liceat.

III. 11. 4: Iamque inmissi in medium Persarum undique circumfusi egregie r e g e m tuebantur, sed conferti et quasi cohaerentes tela vibrare non poterant: simul erant emissa, in eosdem concurrentia inplicabantur levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant.

Vogel i n m i s s i recepit ex Fossii coniectura pro i p s i(e), ipse vocabulum r e g e m inserens. Equidem alteram quoque sententiae partem mendo laborare suspicor.

Kinch [2]) iam monuit non omnia tela in eosdem coniecta esse, qua de causa delenda esse censuit verba i n e o s d e m ut ex initio olim sequentis versus orta. Non credo. Consideremus autem quid fieri necesse sit cum milites conferti et quasi cohaerentes, ut sunt nostri, tela sua emittunt in hostem tam propinquum ut comminus pugnam conserere cogantur. Nempe tela, quae plura in unum coniciuntur, facilius concurrentia implicabuntur quam si maius sit inter utramque aciem intervallum maiusque inter singulos spatium, id quod Macedonibus accidit. Inserendum igitur credo prono-

---

[1]) H. E. Foss, Quaestiones Curtianae in progr. Gymn. Altenburg. 1852, p. 5 sqq.

[2]) C. F. Kinch, Quaestiones Curtianae Criticae, Hauniae 1883.

men q u a e, atque mutata interpunctione sic legendum:

simul q u a e erant emissa in eosdem, concurrentia inplicabantur [1]).

De iisdem pugnantibus paullo inferius haec sunt:

duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent.

Hoc tamen, quod mucrones in ora dirigebant, non potest esse argumentum propinquitatis pugnantium. An forte corrigendum d e r i g e r e n t ita ut idem sit quod d e s u p e r d i r i g e r e n t? Cf. Tac. Ann. I. 35: ferrum a latere diripuit elatumque deferebat in pectus.

Ad c o n l a t o p e d e, quae sunt in eadem paragrapho, conferri possunt Ennius (L. Mueller p. 57): et pede pes premitur atque armis arma teruntur, et Ov. Met. IX. 44: eratque cum pede pes iunctus.

IV. 1. 2: Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant et deficientibus equis cursum eorum, quos rex subinde mutabat, aequare non poterant.

Cum eius quod pauci regem sequebantur altera causa dicatur „non eodem omnes fugam intendisse", altera sit necesse est „eos, qui eodem quo rex fugam intenderant, minus fuisse celeres". Itaque credo inter et et d e f i c i e n t i b u s excidisse quaedam e. g. q u i s e c u t i e r a n t, quae propter verbi i n t e n d e r a n t similem exitum optime a librario praetermitti potuerunt. Cf. IV. 1. 34: cum omni manu, quae fugientes secuta erat.

IV. 2. 7: Namque urbem a continenti quattuor stadiorum fretum dividit: Africo maxime obiectum crebros ex alto fluctus in litus evolvit.

Fretum igitur fluctus evolvere dicitur, cum vulgo ipsum

[1]) Foss l. l. p. 32: „pronomen relativum, quo nihil sane frequentius in codicibus Curtianis omittitur".

fretum volvi soleat, ventus autem volvere. Et in iis quae proxime sequuntur: „Nec accipiendo operi, quo Macedones continenti insulam iungere parabant, quicquam magis quam ille ventus obstabat," de vento, non de freto sermo est.

Etiam conferas Verg. Aen. 1. 85 sqq.

Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et vastos volvunt ad littora fluctus,

et Curt. IV. 3. 6: „forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare inlisit in molem," neque iam dubitabis quin scripserit auctor: Namque urbem .... fretum dividit Africo maxime obiectum, qui crebros ex alto fluctus in litus evolvit.

IV. 2. 9: muros turresque urbis praealtum mare ambiebat: non tormenta nisi e navibus procul excussa mitti, non scalae moenibus adplicari poterant.

Non est oppugnantium tormenta mittere, sed immittere in urbem quam circumsedent, quare pro mitti restituendum censeo inmitti. Cf. IV. 3. 4: armis omissis in mare semet ipsi inmitterent, et IX. 5. 2: namque in urbem hostium plenam praecipiti saltu semetipse inmisit.

IV. 3. 22: cumque unus e civibus in contione indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis .... quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu aurea catena devinxere simulacrum araeque Herculis.... inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturo.

Quamquam ea quae sequuntur satis ostendunt, cuius simulacrum devinxerint, prius tamen mentionem aliquam oportet inici de deo significato. Quare pro devinxere legendum puto dei vinxere.

IV. 7. 3: Nec sustinuere adventum eius Persae, defectione quoque perterriti.

Ad verbum defectione non omitti potest Aegyptiorum quod excidisse credo.

VII. 2. 23: Agendae autem rei constituerant tempus, cum Parmenion a Polydamante litteras traditas legere coepisset.

At cum legere pergimus, nihil eorum fieri videmus quamquam nulla causa est cur Polydamas et Cleander consilium suum mutare potuerint. Polydamas enim, ubi epistolam a rege scriptam, Parmenioni tradidit, hunc otiose illam legere patitur atque etiam pauca cum eo colloquitur. Tum haec sequuntur § 27: „Alteram deinde epistolam Philotae nomine scriptam laetus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander" e. q. s. His rebus adducor ut credam inter Polydamantem et Cleandrum convenisse ut Parmenionem interficerent cum litteras Philotae nomine scriptas legere coepisset. Inserendum igitur censeo alteras: cum Parmenion a Polydamante alteras litteras traditas legere coepisset.

VII. 6. 12: Hos benigne adlocutus ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Berdam quendam misit ex amicis, qui denuntiaret his, ne Tanain amnem iniussu regis transirent.

Haec Vogel praebet pro amnem regionis iniussu regis quae Foss — et amnem regis iniussu regis quae codices mss. habent.

Vogelii ratio displicet quia non apparet quomodo prius illud regis in textum venerit. Revertendum puto ad lectionem veterem regionis, sed insuper finem supplendum. Cf. VII. 7. 2: „Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europaeos vocant, dividit. Idem Asiam et Europam finis interfluit." Sic Curtium scripsisse existimo: ne Tanain

amnem, finem regionis, iniussu regis transirent. Postquam finem excidit propter litterarum similitudinem quae utriusque vocabuli amnem et finem postremae sunt, regionis facile in regis corruptum est.

IX. 1. 23: Obsides ducebantur ante agmen. Quos cum ex muris adgnovissent, utpote gentis eiusdem, in conloquium convocaverunt.

Vogel ad ex muris conferre iubet: οἱ ἐκ τῶν τειχῶν.

An forte legendum incolae in conloquium? Propter litterarum ductum facile id vocabulum omitti potuit. Etiam conferas rogo, quae paullo ante sunt, in § 19: „ipse ceteros ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolae, duxit."

IX. 2. 14: Numquam ad liquidum fama perducitur, omnia illa tradente maiora sunt vero.

Vogel: „Störend ist, dass fama, hier = rumor, gleich darauf als Person gefasst wird." Potius dicam molestum esse famam, quae verbis illa tradente tamquam persona agens significatur, ad verbum perducitur passive esse intelligendam. Nam quin verba omnia.... vero sana sint, nulla esse potest dubitatio; recte Heitland[1]) illa tradente interpretatur: „when she hands them on, that is, when she is the medium through which they are conveyed." Igitur et in priore sententiae parte fama non perducta sed perducens ad liquidum dicatur necesse est: ergo in casu ablativo positam esse contendo. Quod si ita est, subiectum requiritur, idque aliquid fuisse pro certo habeo. Legendum igitur:

Numquam ad liquidum aliquid fama perducitur, e. q. s.

---

[1]) A portion of the History of Q. Curtius ed. by W. E. Heitland and T. E. Raven, Cambridge 1879.

X. 3. 9: At hercules munia militiae hoc animorum corporumque robore aeque inpigre toleratis et, cum fortes viri sitis, non fortitudinem magis quam fidem colitis.

Iam Vogel locus offendisse videtur, cum haec adscripserit: „da aeque sich nicht wohl auf animorum corporumque beziehen kann, ebenso wenig auf ein zu ergänzendes quam Macedones, so ist wohl eine zeugmatische Construktion anzunehmen und zu ergänzen etwa: quam voluptatibus et luxuriae studetis." At non eiusmodi verba antecedunt, sed haec: „Luxu omnia FLUERE credideram et nimia felicitate MERGI in voluptates."
Mihi quidem persuasum est ante munia excidisse omnia, quod et ad aeque optime convenit et laudem qua Alexander milites suos Persas hoc loco extollit, magis reddit perspicuam.

II.

Est in Lib. VII locus insignissimus 8. 25: Nostri sine pedibus dicunt esse Fortunam [quae manus et pinnas tantum habet]: cum manus porrigit, pinnas quoque conprehende. Ad verba quae.... habet Vogel adnotavit, ea sane glossematis speciem praebere, Curtium tamen saepius eiusmodi habere interpretamenta quae melius omisisset: in editione, quam anno 1889 curavit, verba ut glossema inclusit[1]. Iure profecto vir doctus illud observavit: illustrationes minime necessariae, immo insulsissimae, quae apud alios auctores iusto iure expungerentur, in Curtii Historiis frequentissimae occurrunt ita ut quin ab ipsius manu

---

[1]) De hoc loco cf. J. W. Jeep, Specimen Quaest. Crit. de Q. Curt. Ruf. Hist. fragm. Wolfenbüttel 1833. p. 10.

profectae sint, nulla possit esse dubitatio. Vogel l. l. haud pauca eiusmodi exempla enumeravit. Neque tamen dubitavit vir doctus, ut par est, enuntiata quaedam, quae nullo modo tolerari posse putaret, uncinis includere. Quibus si nonnulla adicere velim, noli me putare audaciorem quippe qui post satis longam ponderationem Curtio ea abiudicanda esse censeam.

IV. 9. 6: Hoc (i. e. ut supra descripsi) modo instructo exercitu ac perarmato Babylone copias movit. A parte dextra erat Tigris, nobilis fluvius, laevam tegebat Euphrates, agmen Mesopotamiae campos inpleverat.

Num unquam manifestius emblematis specimen vidisti quam verba agmen Mesopotamiae campos inpleverat? Releganda sunt in marginem, ubi sciolus aliquis olim ea adscripsit neque adscripsit ad eadem fere, quae sunt in C. 10. 8: Rex... castra movit: dextra Tigrim habebat, a laeva montes quos Gordyaeos vocant.

IV. 12. 23: et Macedones sive alacritate sive taedio expectationis ingentem pugnantium more edidere clamorem. Redditus et a Persis nemora vallesque circumiectas terribili sono inpleverat.

Num quisquam ineptissimum emblema pugnantium more retinendum iudicabit? Quamquam neminem non mecum facturum arbitror verba ista expungenti, parem locum addam ex III. 10. 1: „cum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Redditur et a Macedonibus.... iugis montium vastisque saltibus repercussus". Neque ibi puerile additamentum legitur.

V. 4. 16: sin autem ipse hostem fefellisset et saltum occupasset, cum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset, persequens tum regem id ipsum iter.... ne dubitaret ingredi.

Haec Vogel scripsit ex Ieepii coniectura pro persequentium regem, quod codices mss. praebent. Foss, ex cuius praefatione novi verba editoribus male addita esse videri, et apposuit: et persequentium regem scribens, persequentes regem autem non barbaros esse, sed Macedones regem comitantes affirmans. Cum tamen verba sint Alexandri regis ad Craterum, non credo eum, de se loquentem (se intrare — ipse h. fefellisset), mox regis titulo se significasse, praesertim cum non esset cur Craterum dignitatis suae hoc loco admoneret. — Equidem suspicor persequentium regem, primum tamquam barbarorum trepidantium illustrationem in margine adscripta, deinde iniuria in contextam orationem esse recepta.

VI. 9. 21: Quo me conferam, milites? cui caput meum credam? Equitatui, optimae exercitus parti, principibus nobilissimae iuventutis, unum praefeci.

Sunt ea in oratione qua Alexander Philotam insidiarum insimulat quem ipse tot tantisque affecerit beneficiis, et id quidem coram toto exercitu (Cf. C. 8. 23: rex edixit, omnes armati coirent). Haud facile adducar ut credam auctorem Alexandrum equitatum suum optimam exercitus partem praedicantem fecisse. Quod si verum esset, non professus esset rex toto exercitu praesente, cuius multo maior pars peditum erat. Sed ne verum quidem fuit, ut omnes Curtii lectores optime sciunt.

Nonne suspicari debemus verba optimae exercitus parti addita esse manu alicuius qui Alexandri in Philotan beneficia magis perspicua reddere studeret?

VII. 1. 34: Ceterum, rex, equos decem habui: e quibus Antiphanes octo iam distribuerat iis, qui amiserant suos, omnino duos habebam: quos cum vellet abducere homo superbissimus,

certe iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar.

Iniquissimus unum fragm. Einsidl. habet, codices ceteri iniquissime, Paris. — mi. — Mihi quidem semper verba certe iniquissimus admodum languere videntur in oratione illa acerbissima qua Amyntas Antiphanem perstringit. Num insiticia sint videant doctiores.

VII. 9. 13: omnesque effusis habenis — namque equestris acies erat — capessunt fugam.

Sciat lector de Scythis sermonem esse, qui in § 5 „admotos ordines equitum in primo ripae margine opposuisse" Alexandro dicuntur; praeterea in § 9 scriptum esse Macedones eos territos recipientesque equos videre, neque, credo, audaciae me accusabit, verba namque equestris acies erat ut putidum verbi habenis interpretamentum delenda censentem.

IX. 5. 2: (Alexander) in urbem hostium plenam praecipiti saltu semetipse inmisit, cum vix sperare posset, dimicantem certe et non inultum esse moriturum: quippe antequam adsurgeret, opprimi poterat et capi vivus. Sed forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet. Itaque stans init pugnam et, ne circumiri posset, fortuna providerat.

Vogel verba init pugnam interpretatur: er konnte sogleich mit dem Kampfe beginnen, sed de participio stans nihil dicit, quod mihi insertum videtur ad itaque illustrandum.

IX. 9. 19: Dispersa classis partim in praealta aqua stabat, qua subsederant valles, partim in vado haerebat, utcumque inaequale terrae fastigium occupaverant undae.

Quotiescunque hunc locum legebam, semper verba qua

subsederant valles suspicionem mihi movebant: tam mihi videntur intolerabilia ob illa quae sequuntur utcumque... undae. Fortasse quis lector, cui Ov. Met. 1. 43: „iussit et extendi campos, subsidere valles" in mentem venirent, in margine adnotavisse ea putandus est.

III.

III. 1. 13: Inter haec maria angustissimum Asiae spatium esse conperimus, utroque in artas fauces conpellente terram. Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet ac, nisi tenue discrimen obiceret, quae nunc dividit maria, committeret.

Ut iam Vogel observavit, contorta oratio est. Terra enim, in artas fauces compulsa, eo tantum maria committere potest, quod non est vel esse desiit. Cum autem verbis tenue discrimen ipsa terra significetur, eadem oratio est ac si scriptum esset: terra maria committeret, nisi se ipsa obiceret i. e. nisi non committeret. Quod absurdum est.

Legendum est nisi tenue discrimen obiaceret.

III. 2. 9: Nam Bactrianos et Sogdianos et Indos ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri.

Facile apparet verbis ignota.... nomina Curtium significare voluisse gentes ne nomine quidem notas. De pronominis ipsi scriptura inter viros doctos non constat. M. Schmidt (Jahresber. 1882 p. 250) post ipsi inserendum esse censuit regi, A. Eussner (Philol. XXXII. 546) Persis coniecit, alii ipsis legi iubent.

Ego in hanc suspicionem incidi num forte auctor scribere

potuisset ipsa, ita ut etiam ipsa = καὶ αὐτά. Coniecturam meam mihi probavit V. 4. 8: inminentque colles, ipsi quoque frondibus laeti, radices eorum humore subeunte.

III. 2. 15: Fatigatis humus cubile est, cibus, quem occuparunt, satiat, tempora somni artiora quam noctis sunt.

Codices mss. occupati parant, Froben occupant. Vogel adnotavit ad quem occuparunt = οὗ ἂν τύχωσιν, et est sane ea quae requiritur sententia nec tamen uno verbo occuparunt datur.

Et ad obtinendum sensum, qui desideratur, οὗ ἂν τύχωσιν, et propter litterarum similitudinem scribendum esse suspicor: quem occupare possunt. Cf. IV. 1. 27: cum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, et VI. 2. 3: solitosque parco ac parabili victu ad inplenda naturae desideria defungi.

III. 3. 1: cui praeceptum est a rege, ut omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet: opera eorum usurum se in bello.

Usurum se Vogel scripsit ex coniectura Hugii (Phil. Anz. III. p. 172) pro codicum mss. usurus, quod Eussner (Jahresb. in Philol. XXXII. p. 172) retinere voluit. Vogel argumenta sua sumpsit e sermone militari, quae quin firma sint dubitare non ausim. Attamen lectionem usurum a Curtiano sermone non abhorrere, quod nonnulli contenderunt, praeter locos a Vogelio allatos (VIII. 10. 2 et VII. 2. 37) hic quoque probat VIII. 5. 1: ex omnibus provinciis XXX milia iuniorum legi iussit et ad se armata perduci, obsides simul habiturus et milites.

III. 6. 11: 'Oro quaesoque, omisso metu patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper animum,

subsederant valles suspicionem mihi movebant: tam mihi videntur intolerabilia ob illa quae sequuntur utcumque... undae. Fortasse quis lector, cui Ov. Met. 1. 43: „iussit et extendi campos, subsidere valles" in mentem venirent, in margine adnotavisse ea putandus est.

III.

III. 1. 13: Inter haec maria angustissimum Asiae spatium esse conperimus, utroque in artas fauces conpellente terram. Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet ac, nisi tenue discrimen obiceret, quae nunc dividit maria, committeret.

Ut iam Vogel observavit, contorta oratio est. Terra enim, in artas fauces compulsa, eo tantum maria committere potest, quod non est vel esse desiit. Cum autem verbis tenue discrimen ipsa terra significetur, eadem oratio est ac si scriptum esset: terra maria committeret, nisi se ipsa obiceret i. e. nisi non committeret. Quod absurdum est. Legendum est nisi tenue discrimen obiaceret.

III. 2. 9: Nam Bactrianos et Sogdianos et Indos ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri.

Facile apparet verbis ignota.... nomina Curtium significare voluisse gentes ne nomine quidem notas. De pronominis ipsi scriptura inter viros doctos non constat. M. Schmidt (Jahresber. 1882 p. 250) post ipsi inserendum esse censuit regi, A. Eussner (Philol. XXXII. 546) Persis coniecit, alii ipsis legi iubent.

Ego in hanc suspicionem incidi num forte auctor scribere

potuisset ipsa, ita ut etiam ipsa = καὶ αὐτά. Coniecturam meam mihi probavit V. 4. 8: inminentque colles, ipsi quoque frondibus laeti, radices eorum humore subeunte.

III. 2. 15: Fatigatis humus cubile est, cibus, quem occuparunt, satiat, tempora somni artiora quam noctis sunt.

Codices mss. occupati parant, Froben occupant. Vogel adnotavit ad quem occuparunt = οὗ ἂν τύχωσιν, et est sane ea quae requiritur sententia nec tamen uno verbo occuparunt datur.

Et ad obtinendum sensum, qui desideratur, οὗ ἂν τύχωσιν, et propter litterarum similitudinem scribendum esse suspicor: quem occupare possunt. Cf. IV. 1. 27: cum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, et VI. 2. 3: solitosque parco ac parabili victu ad inplenda naturae desideria defungi.

III. 3. 1: cui praeceptum est a rege, ut omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet: opera eorum usurum se in bello.

Usurum se Vogel scripsit ex coniectura Hugii (Phil. Anz. III. p. 172) pro codicum mss. usurus, quod Eussner (Jahresb. in Philol. XXXII. p. 172) retinere voluit. Vogel argumenta sua sumpsit e sermone militari, quae quin firma sint dubitare non ausim. Attamen lectionem usurum a Curtiano sermone non abhorrere, quod nonnulli contenderunt, praeter locos a Vogelio allatos (VIII. 10. 2 et VII. 2. 37) hic quoque probat VIII. 5. 1: ex omnibus provinciis XXX milia iuniorum legi iussit et ad se armata perduci, obsides simul habiturus et milites.

III. 6. 11: ‘Oro quaesoque, omisso metu patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper animum,

quem intempestiva sollicitudine amici sane fideles, sed moleste seduli turbant'.

Turbant ad epistolam spectat qua lecta regis animus valde commotus fuit. Quo sedato demum medicamentum suam vim exercere posse medicus monet. Qua de causa dubito an scripserit C. turbarunt.

III. 7. 14: Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam [et] ignoti anuli sigillo inpresso Siseni dari iusserat ad aestimandam fidem barbari.

Vogel et inclusit, quod sane, ut nunc locus legitur, ferri non potest. Cum tamen causam nullam videre possim ob quam librarius quis istam copulam hoc loco inseruerit, alibi corruptelam investigandam arbitror; itaque, nisi fallor, et servandum, at inpresso in inpressam mutandum est. Cf. Liv. XXXVII. 10. 7: signo suo impressae tabellae. Verbum inpressam propter sigillo substantivum quod proxime antecedit, facile in inpresso corrumpi potuisse nemo non videt.

III. 11. 8: Ergo frater eius Oxathres, cum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum regis obiecit.

Pro regis corrigere velim regi sc. Alexandro; nam praeterquam quod ad verbum obiecit obiectum aliquod aegre desideratur, verba quae praecedunt non sinunt ut vocabulo regis iterum Darius significetur; sunt enim: quippe Dareus curru sublimis eminebat, et suis ad se tuendum et hostibus ad incessendum ingens incitamentum. Ergo e. q. s.

III. 11. 22: Omni planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, castra repleverant.

Codices mss. omnia; omni coniectura Hedickii est.

Castra unde receperit editor non video: abest certe in Fossii editione. Retinendam codicum scripturam ex hisce locis efficio III. 13. 10: Praefectus, quasi et ipse conterritus, simulans cuncta pavore conpleverat; IV. 2. 12: Omnia belli apparatu strepunt.

III. 12. 21: Virgines reginas excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente genitae forent: coniugem eiusdem .... adeo ipse non violavit e. q. s.

Vogel ad eiusdem scripsit intelligendum esse regis propter reginas quod antecedit, M. Schmidt pro reginas: regis filias emendare voluit ad illustrandum eiusdem. Et sane in iis, quae antecedunt, nusquam de Dareo mentio est iniecta, ita ut minime supervacaneum sit verbum aliquod quo quis vocabulo eiusdem significatus sit, accuratius indicetur. Quid si reginas in regias mutetur?

III. 12. 24: Itaque Sisigambis, 'Rex', inquit, 'mereris, ut ea precemur tibi, quae Dareo nostro quondam precatae sumus, nec invidia dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaveris'.

Ad ultima verba iure Vogel observavit „im Munde der Königinmutter jedenfalls unpassend und verletzend." At non credo Curtium unquam reginam quo erat amore erga maritum fideli ac constanti, talia loquentem induxisse. Vera lectio mihi esse videtur non superaveris sed superare velis. Similem errorem librarii commiserunt in VIII. 8. 8, ubi confundi videmus Eussner et post eum Grunauer [1]) pro confundimus restituit; in IX. 7. 19, quo loco corruptum convenerat recte Heitland in conventus erat commutavit.

---

[1]) E. Grunauer, Programm. Gymnas. Winterthur 1870.

III. 13. 11: Quippe tot annorum incredibili et fidem excedente fortuna cumulata tunc alia stirpibus lacerata, alia in caenum demersa cernebantur.

Quamquam Vogel interpretatur stirpibus d. i. durch die Sträucher, zwischen welchen die Fliehenden sich hindurchgedrängt hatten, neque quin vulgaris lectio sana sit dubitare videtur, persuadere mihi non possum ita se rem habere. Nusquam enim de stirpibus quidquam dictum est; contra in § 10 dicuntur opes illae regiae iacere TOTIS CAMPIS, in § 8 narratur Parmenionem EQUITATU suo agmen portatorum aggressum esse, qui ONERIBUS OMISSIS fugam capessunt. — Suspicor stirpitus legi oportere: alia prorsus lacerata sive corrupta erant, alia tantum in caenum demersa iacebant.

IV. 1. 5: Aradus quoque insula deditur regi. Maritimam tum oram et pleraque longius etiam a mari recedentia rex eius insulae Strato possidebat.

De aliis orae eius maritimae regibus non disseruit auctor; quam ob rem iam adverbium tum minime necessarium videtur. Sunt alia tamen quae mihi locum suspectum reddunt. Maritima ista ora Phoeniciae pars est, quae ex adverso Aradi insulae sita est: id autem ex iis quae scripta sunt, non patet.

Accuratius Arrian. II. 13. 8 *Στράτων δὲ ..... τήν τε Ἄραδον αὐτῷ τὴν νῆσον καὶ τὴν Μάραθον τὴν καταντικρὺ τῆς Ἀράδου ἐν τῇ ἠπείρῳ ᾠκισμένην πόλιν ..... ἐνδίδωσιν.* An forte pro tum legendum illam?

IV. 1. 22: 'Habitus', inquit, 'hic vestis, quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus inluvie tetrisque sordibus squalidum.

Ad habitus vestis, quod saepius viri docti iniuria sollicitarunt, conferant Liv. IX. 36. 6: sed nec vestis

armorumve habitus sic eos texit quam quod abhorrebat ab fide quemquam externum Ciminios saltus intraturum, et Virg. Aen. VIII. 722: incedunt victae longo ordine gentes, quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.

Vocabulum habitus Curtio in deliciis fuisse Vogel p. 54 observavit.

Est tamen in loco citato alia difficultas neque facile solvenda. Tetrisque enim Vogel posuit pro aeternisque, quod codices mss. habent et viri docti nonnulli retinere cupiunt (Heller, Phil. Anz. 1883, et Henrichsen),[1] Eussner et Cornelissen veternoque proposuerunt deleto sordibus, Anton (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 1873 p. 188) tabeque squalidum, Palmerius veternoque et sordibus. Recte quidem Vogel adnotavit „die Farben sind hier etwas stark aufgetragen" sed videat vir doctus num locus melior fieri videatur, si scribitur terrenisque. Abdalonymus, quem forte steriles herbas eligentem in horto inveniebant, optime dici potest terrenis sordibus squalidus.

IV. 1. 36: Eodem tempore classis Macedonum ex Graecia accita Aristomenen, qui ad Hellesponti oram reciperandam a Dareo erat missus, captis eius aut eversis navibus superat.

Vogel ad eversis adscripsit „So schon bei Cic. naviculam in portu evertere = umwerfen." Apud Fossium pro eversis scriptum est mersis, recte, ut opinor. Locus iste Ciceronianus a nostro prorsus alienus est: quod cymbis parvulis nonnunquam accidere potest ut procellae vi evertantur (animadvertas quaeso Ciceronem de navicula quadam dicere), in navibus longis, de quibus apud Curtium sermo est, haud facile usu venit. Accedit quod in tali re mergere verbum usitatum est.

---

[1]) **R. J. F. Henrichsen, Opgaver til oversaettelse fra latin paa Dansk, samlede af H. Femte Udgave, besorget af M. Cl. Gertz. Kjobenhavn. 1884.**

IV. 2. 13: idque omen in Macedonum interitum verterunt Tyrii.

Interitum Vogel scripsit adsentiente A. Hugio (Ind. Phil. 1871. p. 172) pro codicum mss. metum. At vulgari lectioni similius videtur malum, quod apud nostrum frequens substantive positum est, ut VIII. 14. 7: anceps id malum utrisque erat, X. 2. 20: subest nimirum altius malum, quod omnes avertit a me, X. 5. 18: deinde magnam partem Asiae mali fama pervaserat.

IV. 3. 12: Nec Tyrii, quamquam classem habebant, ausi navale inire certamen: tris omnino ante ipsa moenia opposuerunt, quibus rex invectus ictu ipso demersit.

Ictu ipso a Vogelio positum est pro ipsas quod habent codices mss. Prohazel[1]) prorsus coniecit afferens Diod. 17. 43: Ἀλέξανδρος ἐπιπλεύσας αὐταῖς καὶ πάσας συντρίψας ἐπανῆλθεν. Equidem ad verbum demersit aegre obiectum desidero quod inpulsas fuisse puto. Facile id verbum in ipsas abiisse potuit, quod Foss restituit IV. 4. 8: triremis..... in eam ipsam, quae quinqueremi inminebat, tanta vi inpulsa est, itemque occurrit IV. 4. 11: quosdam etiam comminus gladio clipeoque inpulsos praecipitavit.

IV. 4. 5: Laetique omine eo ad epulas dilapsi oneravere se vino, quo graves orto sole navigia conscendunt redimita floribus coronisque: adeo victoriae non omen modo, sed etiam gratulationem praeceperant.

Nunquam locum perlego quin haeream in vocabulo omen. Omen enim non Tyrii modo sed Macedones quoque

---

1) P. Prohazel, Q. Curtii Rufi codicum memoriae emendandae leges et proponuntur et adhibentur. Pr. Sagan 1890.

praeceperant, ut paulo superius est: 'utrisque laetus fuit beluae aspectus: Macedones iter iaciendo operi monstrasse eam augurabantur.' Nescio an sit legendum n o m e n, ut est in IX. 2. 14: nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis quam operis, et apud Liv. VIII. 11. 6: victoriaeque nomen tantum penes Romanos esse, ceteram pro victis fortunam et illos gerere.

Ita Tyrii nomine victoriae et gratulatione iam ante fruebantur, ipsa victoria adhuc deerat.

IV. 9. 15: Ac primo caligine, quam fumus effuderat, obscurante lucem insidiarum metu substitit.

C a l i g o apud Curtium idem est quod vapor, fumus, quod probat IV. 12. 20: sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, universam equidem rei faciem non abstulit. Non dici potest igitur fumum caliginem effudisse, nec, si f u m u s sanum esset, e f f u d e r a t in loco positum esset, sed e f f e c e r a t, g l o m e r a v e r a t vel tale quid desideraremus. Nunc tamen pro f u m u s suspicor scribendum esse h u m u s.

Praeter locum in huius libri capite 12, quem citabam, id monere videntur verba quae praecedunt: tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio: quippe Mazaeus, quaecumque adierat, haud secus quam hostis urebat.

V. 1. 18: Ad hoc vir illustris et manu promptus famaque etiam proximo proelio celebris et ceteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur.

S u i ad d e d i t i o n e m pertinet quamvis sit minime necessarium. Ad e x e m p l o tamen vix potest abesse significatio aliqua. Ergo mihi constat aut legendum esse s u o aut post s u i excidisse s u o propter litterarum similitudinem.

V. 8. 14: Si hic animus, si haec lex, nulli non parta

libertas est: nemo e vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbum ferre cogetur.

Pro vultum superbum legendum puto victorum superbiam. Nam verba vultum superbum ob hasce causas Curtium non scripsisse opinor: primo numerus singularis, quo posita sunt, suspicionem movet, deinde admodum languide dictum videtur illud vultum superbum post fastidium, cuius vocabuli multo acrior est vis, denique turbatus verborum ordo est. Aut dicendum erat: nemo e vobis Macedonum fastidium, nemo vultum superbum ferre cogetur, aut: nemo e vobis f. M., nemo eorum v. s. f. c.

V. 9. 1: 'Nos vero', inquit, 'pretiosissimam vestem induti armisque, quanto maximo cultu possumus, adornati regem in aciem sequemur'.

Milites, qui in bellum proficiscuntur, armis adornatos fuisse non opus fuit ut auctor narraret. Legendum videtur: adornatis.

V. 12. 18: Artabazus cum his, qui imperio parebant, Graecisque militibus Parthienen petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus.

Quid parricidarum contuitus nocere potuerit Artabazi militibus non video, sed potius contactu scribendum arbitror.

VI. 4. 15: Et gens bellicosa et naturae situ difficilis aditu regio curam regis intenderat.

Ita Vogel scripsit pro codicum mss. nat. situs difficilis aditu, haec addens regio facile excidere potuisse propter verba sequentia curam regis et VII. 4. 4: loca naturae situ tuta conferri iubens. Haec verba tamen ex coniectura orta in codicibus mss. non leguntur; praebent enim sit aut tot, pro quibus alii alia substituenda dede-

runt: Merula situ munita, Foss pro tuta scripsit invia, Henrichsen recepit natura sibi tuta.

Haec quoque Vogel observavit fieri potuisse ante naturae excidisse terra. Mihi quidem non videtur verbum aliquod excidisse, sed scribendum esse: et gens bellicosa et naturae sitū difficilis adituS curam regis intenderat.

VI. 5. 11: Itaque rex indignatus, si una gens posset efficere, ne invictus esset, inpedimentis cum praesidio relictis valida manu comitante procedit.

Pro valida, quod Muetzell coniecit, codices mss. invicta dant, quod ex antecedente invictus ortum videtur. Alii: expedita, delecta, multa, mixta[1]), cet. Quorum quid C. scripserit effici non posse Vogel contendit, quod viro docto concedere non possum. Est enim VII. 5. 1 locus nostro simillimus, qui lectionem expedita veram esse luculenter demonstrat: „Igitur Bactrianorum regione Artabazo tradita sarcinas et inpedimenta ibi cum praesidio relinquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat." Cf. etiam IV. 3. 1: ipse cum expedita manu Arabiam petiit.

VI. 7. 1: Iam nonum diem stativa erant, cum, externa vi non invictus modo sed tutus, rex intestino facinore petebatur.

Codices haec habent: externa vi non tutus modo rex, sed invictus, in quibus nil mutandum esse puto, neque ullius ex coniecturis (intritus, interritus, intactus), quibus viri docti verbum invictus sollicitarunt, locus indigere videtur. Credo ob invictus non bene intellectum locum suspicionem movisse. Vogel enim ad verbum adnotavit invictus = illo tempore, usque ad illud tempus nunquam victus, haec addens:

---

[1]) I. I. Cornelissen in Mnemosynes Volumine IV. 1876. p. 67.

„Jedenfalls ist das Stärkere das tutum esse d. h. der Umstand, dass der König zur Zeit überhaupt gar nicht bedroht war; darum darf es nicht im Vordergliede bei non — modo stehen." Neutrum credo: tutus = non petitus, nicht bedroht, invictus vero, ut iam Kinch monuit (l. l. p. 52), = qui vinci non posset etiamsi peteretur. Haec verbi significatio frequentissima est apud Sallustium et Tacitum, ut B. J. 43. 5: quod advorsum divitias invictum animum gerebat, et Ann. 15. 21: invictus adversum gratiam animus. Kinchii propositum externa a vi necessarium esse valde dubito. Nonne potuit externa vi sine praepositione ab auctore scriptum esse per zeugma verbi invictus, quod verbum ei iam erat in mente cum ea quae praecedunt scribebat?

VI. 7. 28: Tum rex, identidem quaerens, an Philotan adisset, an institisset ei, ut pervenirent ad se, e. q. s.

Ad verbum pervenirent Vogel subiectum intelligendum esse monuit ex fratre conperta. Melius autem videtur perveniret, quod apud Fossium lego, scilicet Philotas. Optimum vero duco scribere protinus iret, quod loco nostro abesse non licere loci duo ostendunt: VI. 7. 19 Philotas conlaudato eo protinus intrat ad Alexandrum, et VI. 8. 10 Quem enim pium et bonae mentis, non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis, quae ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum.

VI. 10. 35: Ego ipse, quotiens, quae audieram, detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si et, cum indicamus, invisi et, cum tacemus, suspecti sumus, quid facere nos oportet?

Pro invisi legendum esse inrisi vel inrisui ante me Freinshemios fratres monuisse apud Kinchium video, qui et ipse Ioannis Freinshemii coniecturam inrisui

accipiendam esse censuit. Verba cum ludibrio credulitatis repulsus sum eorum iudicium quam maxime firmant.

VI. 11. 35: Omnia adgnoscente eo Demetrius, qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producitur.

Proximi hoc loco nihili est: verum quidem, Philotan tormentis laceratum aliam quandam coniurationem confessum, sic finem dicendi fecisse § 30: „et haec confessus intellego non prodesse mihi, quod praesentis sceleris expers sum", at de Demetrii scelere in VI. 7. 15 et 9. 5 tam copiose omnia exposita sunt, ut de crimine, cuius iste vir accusatus est, nulla iam possit esse dubitatio. Quae cum ita sint, proximi in proximus commutandum censeo: Philotas princeps coniurationis habebatur, Demetrius Dimno mortuo proximus erat sceleris particeps. Cf. VI. 11. 28: adiecit, se, sive auderemus duces esse, proximas a nobis partes vindicaturum, sive e. q. s.

VII. 5. 10: Cum ex his, qui praecesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse et aegre pati sitim non ignorabant, occurrerent.

Ipsum verbum occurrunt sc. Alexandro monstrare videtur pro occurrerent scribendum esse succurrerent. Aquam portabant non ut obviam irent filiis sed ut iis sitientibus essent auxilio. Hanc emendationem quamquam iam Kinchium proposuisse postea vidi, supprimere nolui quia vel nunc in editionibus ineptum illud occurrerent servatum est.

VII. 6. 5: Itaque postero die misere legatos ad regem. Quos ille protinus iussit admitti solutisque fasciis magnitudinem vulneris dissimulans crus barbaris

ostendit. Illi iussi considere adfirmant, non Macedones quam ipsos tristiores fuisse cognito vulnere ipsius.

Sunt in his duo verba, mea quidem sententia, haud dubie corrupta. Prius est vulneris illud in magnitudinem vulneris. Vogel sane adnotavit ea significare debere quam grave esset vulnus, sed, cum ipse rex vulneratus crus barbaris ostenderet, id dissimulare nec voluit neque, si voluisset, potuit. Legendum esse puto magnitudinem DOLORIS. Fieri potest ut vulneris, primo ad doloris illustrandum in margine adscriptum, deinde ipsum vocabulum ad quod interpretandum adiectum erat, extruserit.

Est alterum vocabulum corruptum itaque corruptum, ut diu de mendo typothetae cogitarem. Cum tamen in editionibus omnibus, quas adibam, ineptum illud considere inveni, auctori suum quam primum reddere volo, scribere iubens considerare.

VII. 8. 15: Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit et ferrum rubigo consumit.

Quamquam Vogel observat haud alienum esse a vocabuli usu, si aliquando = saepius accipiamus, sed verisimilius auctorem certam fabulam ante oculos habuisse, non credo Curtium scripsisse fuit. Et usitata apud nostrum vocabuli aliquando significatio et verbum consumit, praesenti tempore positum, me induxerunt ut pro fuit conicerem fit.

VIII. 1. 38: Nihil ex omnibus inconsulte ac temere iactis regem magis moverat, quam Parmenionis cum honore mentio inlata. Dolorem tamen rex pressit.

Vogel pressit scriptum esse affirmat pro suppressit. Non credo, sed rex pressit mutandum in repressit,

quod non solum rex post regem in versu superiore moleste abundare videtur sed et verbo reprimendi hoc loco opus est: Alexander enim iram suam, quae iam erumpere coepit, rursum pressit.

VIII. 2. 33: Rex .... imperium Sisimithri restituit spe maioris etiam provinciae facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset. Duos illi iuvenes patre tradente secum militaturos sequi iussit.

Pro illi restituendum esse ille ostendit similis locus VIII. 4. 21: Inde pervenit in regionem, cui Oxyartes, satrapes nobilis, praeerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito haud amplius, quam ut duo ex tribus filiis secum militarent, exegit.

IX. 1. 17: Et vincula, quis conserta erant, iussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur.

Quis iussit? Nempe Alexander. At ea quae proxime antecedunt, haec sunt § 16: Ac primo insolitum genus pugnae Macedonas terruit, cum eminus vulnerarentur. Deinde spreto tam incondito auxilio ab utroque latere vehiculis circumfusi repugnantes fodere coeperunt. Et vincula e. q. s.

De Alexandro igitur facta est nulla mentio, quare corrigas: Rex vincula.

IX. 2. 13: Sic Ciliciae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim et Euphraten, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persae.

Pro campos emendare velim amnes, ita ut sint verba Mesopotamiae amnes appositio sequentium Tigrim et Euphraten. Nam etiam si tradita lectio sana esset, et Mesopotamiae campi terribiles esse potuissent, ad verba Tigrim et Euphraten quoque tertium sic abesse non liceret.

IX. 2. 23: Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis et Cilicia inundata cruore Persarum et Arbela, cuius campi devictorum a nobis ossibus strati sunt.

Cum sit Arbela semper et ubique apud nostrum in plurali numero neutrius generis positum, locum inter se mutent Cilicia — Arbela. Aptius quoque de Ciliciae regionis quam de Arbelorum oppidi campis dicitur.

IX. 10. 22: Cum inde praefecti, sicut imperatum erat, equorum, iumentorumque iugalium vim ingentem ex omni, quae sub imperio erat, regione misissent,

Arrian. VI. 27. 6 *κάμηλοι καὶ ὑποζύγια* nominat et iure Vogel iugalium ad iumentorum positum miratur.

Collatis hisce quae paulo superius (§ 17) leguntur: „Rex... misit, qui iuberent camelis cocta cibaria adferri, aliosque finitimarum regionum praefectos certiores necessitatis suae fecit," pro iumentorumque legere nullus dubito camelorumque. Sic et iugalium vim suam obtinet.

IX. 10. 24: Igitur, ut supra dictum est, aemulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportaverat, sed etiam famam, sive illud triumphus fuit ab eo primum institutus, sive bacchantium lusus, statuit imitari.

Scheffer famam in insaniam mutare voluit, Meiser[1]) in pompam, fretus iis quae Arrian. VI. 28 tradidit. Equidem legendum esse puto festum, quo recepto vide quam bene ea quae sequuntur (sive illud etc.) procedant.

X. 1. 36: (Bagoas spado) concitaverat iam animum (sc.

---

[1]) Sitzungsberichte der Königl. bayer. Akad. der Wiss. 1887. p. 32, ubi de hoc loco fusius disputavit.

Alexandri) in iram, cum hi, quibus negotium idem dederat, superveniunt. Hinc Bagoas, hinc ab eo subornati falsis criminibus occupant aures.

Confer sodes ea, quae § 27 leguntur: „(Bagoas) gentis eiusdem levissimos falsis criminibus adstruxit monitos, tum demum ea deferre, cum ipse iussisset. Interim quotiens sine arbitris erat, credulas regis aures inplebat" e. q. s. neque, ut opinor, dubitabis pro idem mecum restituere pridem.

X. 7. 4: Tunc Pithon plenus lacrimarum orditur dicere, 'nunc....: nomen enim memoriamque regis sui tantum intuentes ad cetera caligare eos', haud ambigue in iuvenem, cui regnum destinabatur, ingerens probra. Quae obiecerat, magis ipsi odium, quam Arrhidaeo contemptum attulerunt.

Codicum mss. haec sunt: haud ambigue iuvenem — inpense probra quae, pro quibus alii alia proposuerunt, Jeep: iuvenem — inpetiit sed probra, Foss tantum inpense in inpensa mutato lacunae signa ante haud ambigue collocavit, Kinch: iuveni — infenso probra, quae adiecerat etc. coniecit. Ego sic locum restituere conatus sum: haud ambigue iuvenem — impugnans. Sed probra, quae e. q. s.

Quod Madvig Advers. Crit. II. p. 535 commemoravit, in illa sermonis Pithonis parte, quae adhuc exposita sit, nullam probri vel probrorum significationem esse, non credo. Pithon enim ista contionatur postquam quidam ex infima plebe Arrhidaeum tamquam Alexandri successorem nominavit, ita ut Vogel verbis ad cetera caligare eos Arrhidaei inertiam subdole significari mihi quidem recte monuisse videatur.


PA6378
D2
247614
Damsté

